

rebelles sive proditores de crimen laesae maiestatis suspectos aut trans fugas ex subditis alterius dictorum Principum, nec huiusmodi rebellibus sive proditoribus aut trans fugis, rebelli sive proditori aut trans fugi qui in aliquem locum obedienciae alterius praedictorum illustrissimorum et potentissimorum Principum declinaverint aut declinaverit quo vis modo dabit consilium, favorem aut assistenciam; sed eum aut eos intra viginti dies postquam per litteras alterius Principis eius rebelles aut rebellis subditi aut subditus extiterint vel extiterit, quibus litteris certificatoriis super hoc omnino stabitur alter eorum requisitus fuerit litterarum huiusmodi requisitionis latori aut alii ad hoc in huiusmodi litteris nominato sive deputato tradet, restituet et liberabit, tradiue restitui et liberari faciet.

Item, conventum concordatum et conclusum est, quod ex neutrius Principum praedictorum cancellaria aut alia curia, in posterum concedantur aliquae litterae represaliarum marcae aut contra marcae, nisi super et contra principales deliquescentes et eorum bona eorumque fautores, vel in casu manifestae denegationis iustitiae, de qua per litteras summationis aut requisitionis et prout de iure requiritur sufficienter constabit.

Item, quod durante pace et amicitiis praefatis, aliquid contra vires et effectus eorumdem per terram, mare aut aquas dulces, per aliquem subditum, vasallum aut alligatum in his amicitiis comprehensum alterius dictorum Principum fuerit attentatum, actum et gestum, nihilominus tamen pax sive amicitia in suis viribus permanebit, et pro se ipsis attentatis solummodo puniantur ipsi attentatores et damnificantes et non alii.

Item, conventum concordatum et conclusum est, quod immediate post ratificationem praesentis tractatus hinc inde factam Sercus, Bazuges, La Forest, Hanlot iamobisides plene et libere relaxabuntur et ad manus praedictorum oratorum illustrissimae dominae Franciae regentis vel aliorum quorumeumque per eamdem deputandorum realiter tradentur.

491 Item, conventum concordatum et conclusum est, quod omnes et singuli subditi sive stipendiarii citra comitis aut principis gradum praefati potentissimi regis Angliae per praedictum Christianissimum Francorum regem aut aliquem eius subditum vel subditos stipendiarium vel stipendiarios per terram, mare aquas dulces aut ubicumque locorum capti aut detenti, absque aliqua pecunia pro eorum redemptione solvenda libere relaxabuntur et libertati restituentur, ita quod licebit eis et eorum unicuique in

et ad propria redire aut quo cumque locorum volunt divertere; et pari modo omnes et singuli subditi sive stipendiarii citra comitis aut principis gradum praefati Christianissimi Francorum regis per praedictum potentissimum regem Angliae aut aliquem eius subditum vel subditos, stipendiarios, per terram, mare, aquas dulces et ubicumque locorum capti aut detenti, absque aliqua pecunia pro eorum redemptione solvenda libere relaxabuntur et libertati restituentur, ita quod licebit eis et eorum unicuique in et ad propria redire, aut quo cumque locorum velint divertere.

Item, conventum concordatum et conclusum est, quod in praesenti tractatu pacis et amiciciae comprehendantur amici alligati et confoederati utriusque partis subsequenter nominali, videlicet: pro parte invictissimi regis Angliae Sanctissimus dominus noster Clemens illius nomini papa VII ac Sancta Sedes Apostolica, Carolus imperator electus, Christianus rex Dacie, reges Hungariae et Portugaliae, Serenissima domina Maria regina Franciae dovageria, illustrissima domina Margarita dicti Imperatoris electi amita et archiducissa Austriae, Ferdinandus germanus frater dicti Imperatoris Austriae Archidux, Dux et Dominium Venetorum, reverendiss. dominus Leodiensis episcopus, Dux Urbini, Clevensis, Juliacensis duces, magnifica domus de Medicis, Dominium Florentinorum, Dux Ferrariae, communis et societas Hansae Teutonicae; et pro parte Regis Christianissimi Sanctissimus dominus noster Papa et Sancta Sedes Apostolica, Reges Scotiae, Hungariae, Navarre et Portugaliae, Dux et Dominium Venetorum, Dux Sabaudiae, Dux Lotharingiae, Dux Gueldriae, Dux Ferrariae, Domini Elvetii, Marchio Montisferrati et illustrissima domina mater eiusdem et Marchio Salutarum; qui quidem comprehensi ex parte dictorum Regum hinc inde nominati, infra quatuor menses a tempore ratificationis et publicationis praesentis tractatus tenebuntur per suas litteras patentes utrique dictorum Regum transmittendas declarare se velle dictam comprehensionem acceptare, ac omnia et singula capitula in eadem contenta quatenus eos concernunt adimplere, alioquin pro non comprehensionis habentur.

Item, quod tractatus inter dictos illustrissimos et potentissimos Reges firmus et perseverans sit, conventum concordatum et conclusum est, quod quisquam dictus tractatus ac singula in eodem contenta non fuerint plene, integre et inviolabiliter observata per alterius partis comprehensos aut eorum 491.